

P. VERGILI MARONIS

quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant. 345  
det libertatem fandi flatusque remittat,  
cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros  
(dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)  
lumina tot cecidisse ducum totamque uidemus  
consedisse urbem luctu, cum Troia temptat 350  
castra fugae fidens et caelum territat armis.  
unum etiam donis istis, quae plurima mitti  
Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum,  
adicias, nec te ullius uiolentia uincat  
quin natam egregio genero dignisque hymenaeis 355  
des pater, et pacem hanc aeterno foedere iungas.  
quod si tantus habet mentes et pectora terror,  
ipsum obtestemur ueniamque oremus ab ipso:  
cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.  
quid miseros totiens in aperta pericula ciuis 360  
proicis, o Latio caput horum et causa malorum?  
nulla salus bello, pacem te poscimus omnes,  
Turne, simul pacis solum inuiolabile pignus.  
primus ego, inuisum quem tu tibi fingis (et esse  
nil moror), en supplex uenio. miserere tuorum, 365  
pone animos et pulsus abi. sat funera fusi  
uidimus ingentis et desolauimus agros.  
aut, si fama mouet, si tantum pectore robur  
concipis et si adeo dotalis regia cordi est,  
aude atque aduersum fidens fer pectus in hostem. 370  
scilicet ut Turno contingat regia coniunx,  
nos animae uiles, inhumata infletaque turba,  
sternamur campis. etiam tu, si qua tibi uis,  
si patrii quid Martis habes, illum aspice contra  
qui uocat.' 375

Talibus exarsit dictis uiolentia Turni.